

Theodor Bussius Hermann Tappe

## Disputatio De Possessione

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061946X>

Druck Freier  Zugang



2 159  
Jc

Disputatio  
DE  
POSSESSIONE,

QVAM CVM DEO  
Permissu superiorum

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultissimo Viro  
DN. THEODORO BUSSIO  
J. U. D.

*Publico iure studiosorum*

*examine committer*

HERMANNUS TAPPIUS  
Hildesh. Saxo.

A. D. XXI. MART.

∞ 10 CXII.

Hora & loco ordinario.



I. D. 267 2.


ROSTOCHII

Typis exscriptit Ioachimus Pedanus

Anno clō 10C XII.

1612

R. U. - jur. Bussius, Theodor / 1





## THESIS I.

**D**E POSSESSIONE sepius & multis disputatum quæsitumque est: & creditur hujus argumenti ea esse necessitas, ut nemo cognitionem juris sibi arrogare possit, qui in eo non sit bene versatus. *Ferreto & Zasio restantibus.*

### II.

Oppido autem difficile est, subtiliaq; & obscura perquam multa continet, & ejusmodi; quæ, quod D. August. alicubi dicit, *Intelligi quidem possunt, sed vix declarari.* Ideoq; mirum non est, quod ex plurimis, qui hanc rem tractarunt, nemo sit, qui ubiq; eruditus satisfecerit, vel cæcos errorum scopulos semper evitarit. Nemo enim tam Lynceus est, qui in tantis tenebris nihil offendat, aut nusquam incurrat.

### III.

Nos rem gratam studiosis facturos existimavimus, si hac *ὀψιμότης* quæ legibus & rationi juris convenienter ab Interpretibus melioris notæ tam veteribus quam recentibus de hac quæstione dicta videbantur, in medium, licet *τόπω* & rudi Minerva, proponeremus. Neq; speramus quemquam ægrè laturum, eandem rem à nobis post alios tetractari: siquidem, Seneca teste, *nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur.*

### IV.

Procedamus isto ordine. Primum de verbo possessionis videamus: tum de ejus natura, quid sit, & quas divisiones admittat: deinceps de rebus: de personis: de modis acquirendi & amittendi: de effectis & commodis: & postremo de judicijs possessorijs.

### V.

Dicitur autem possessio à sedendo, sive à sedibus: sic enim a Labeo, inprimis originationum peritus artifex, etjam à b Gellio laudatus. Neq; tamen ineptè alludunt, qui quasi pedum positionem dici autumant. Namq; τὸ stare & sedere, adeoq; sedes & pedes ad possessionis vim exprimendam etjam c Paullus conjungit.

a) l. i. pr. D. de adq. vel am. poss. b) lib. 13. c. 10. c) l. 3. §. 5. D. eo.

## VI.

Et licet, Duareno auctore, difficultas hujus tractatus potissimum in ipsis rebus consistat: tamen insignis est in verbo possessionis *πλοσσημοσία*, quæ non dextre explicata, neq; quid in re ipsa insit intelligi, neq; juris auctorum sententiæ inter se rectè componi, aut percipi unquam possunt.

## VII.

Possessio igitur aliquando pro ipsis corporibus & prædijs sumitur: quæ quidè generaliter passim a possessiones dicuntur: Romani vero illos agros quos provinciales vel Coloni possidebant, postquam jure belli publici essent populo Romano facti, ejusq; dominio subjecti, *κωλιως* possessiones vocabant.

a) Eadem mens est Paulli dum ait Possessionis verbum interdum quoq; proprietatem significare, l. interdum 78. D. de V. S. *Ut si quis possessiones suas legarit, de ipsis corporibus seu prædijs sensisse videri. Ceterum quod notant possessionem & dominium: illam, per causse: hoc per effecti metonymiam, mutua sepe vice fungi, unumq; pro altero poni: hoc neq; illi loco convenit: neq; l. quoties 15. verb. in definiendo dominio. C. de R. V. aut alijs exemplis probatur. Iavolenus in l. Questio 115. D. de Verb. Sign.*

## VIII.

Aliquando Possessio Usucapionem, id est effectum significat. l. deniq; 19. l. cum miles. 30. D. quib. ex causse. maj. Cuj. 24. obs. c. 9.

## IX.

Nobilis est etiam possessionis usurpationem, cum de Edicto agimus quo Prætor bonorum possessionem pollicetur: hæc enim, ut hereditas, juris intellectum habet, & sine corpore subsistit: in eaq; à rerum possessione, qua de nobis sermo institutus est, plurimum distat, *tot. tit. Dig. de bon. poss.*

## X.

Porro, Possidere, quod propius ad rem nostram accedit, idem sæpè juris auctoribus notat, quod tenere: & vicissim: ut cum usufructuarius dicitur naturaliter tenere. l. possessio. 49. D. eo. Tenendi tamen verbum latius patet: Competit enim etiam furioso, infanti, dormienti &c. l. 1. §. adipiscimur. h.

## XI.

Tenere, interdum civilius dicitur de ijs qui non possident. quidem

quidē; in possessione tamen sunt. Quæ duo Jurisconsulti nostris valde differunt. *l. si quis. 10. §. idem Pomponius. D. h. Licet Horomanno hanc argutiam adpellare placuerit. lib. 9. obs. 1.*

XII.

In possessione autem esse dicuntur, quæ rem tenent, non affectu possidendi, sed ut custodiant & seruent. Tales sunt qui legatorum servandorum causa, dotis, ventris, damni infecti nomine à magistratu in possessionem missi sunt. Quos olim Qu. M. Scævola possidere dixit. *l. 3. in fin. D. eod.* His similes sunt quibus pacto, vel jure municipali, aut consuetudine permissum est, possessionem ingredi debitoris sui, si morator fuerit: non enim magis possident, quam qui à magistratu in possessionem missi sunt. *v. Col. de process. lib. 3. Cap. 12.*

XIIV.

In pari conditione sunt, qui alieno nomine rei insistant, neque sibi sed alteri tenent: *l. quod meo nomine. 18. pr. h. t. ut qui rem apud se depositam habet: l. licet. 17. in fin. D. de posf. qui precario, tenet: l. certe. 6. §. si qui rogavit. D. prec. Sequester l. interesse. 39. D. h. t. Colonus. l. 1. C. com. usuc. Inquilinus, servi, Procuratores, & similes.*

XIV.

Equidem hi omnes latissima significatione possidere dicuntur: sic enim à Ulpianus in rei vindicatione, cum iudicis officio incumbit inspicere an reus possideat, respondet: possidere intelligi omnes qui tenent & restituendi facultatem habent. Atque hæc est possessio, quam Asininam Glossogr. vocant.

a) *l. officium. 9. D. de rei. vind. l. communi. 7. §. 4. 8. 9. 11. D. Com. divid.*

XV.

Alio modo, & pressius loquendo, ij tantum possident, qui rem alienam non quidem ut suam, nihilominus tamen suo nomine detinent. Quæ significatio in interdictis maxime locum habet.

XVI.

Sicque possidere negantur, quos diximus alieno tantum nomine in possessione esse. Ideoque interdicta ipsis a non competunt. Contra vero possidere dicuntur: b) usu fructuarius, c) creditor cui pignus est traditum, & qui precario rem cum possessione accepit. Ideoque hi interdictis de possessione propositis jure duntur.

A 2

a) l. 1.

a) l. 1. §. quod servus 12. & seq. D. de vi. Competit tamen Colono interdictionum de vi eo casu de quo in l. Colonus 12. & l. cum fundum. 8. & ibi Cuius in Qu. Papin. D. de vi. Menoch. de Recup. Possess. Rem. i. n. 66. b) l. naturaliter 12. pr. l. Possessio 49. pr. D. h. t. c) l. cum & sortis. 35. §. fin. D. de pigra. l. servi. 16. D. de usuc. d) l. 3. §. qui usus fr. 17. D. de vi. l. ult. D. uti poss. Menoch. de Recup. poss. Rem. i. n. 62. 69. 75.

XVII.

Angustior omnium significatio est, præcipue in usucapionum tractatu: ubi tantum possidere dicuntur ij, qui tanquam suam & suo nomine rem habent, vel, quod idem est, qui animo domini tenent. Atq; hoc respectu & creditor & usufructuarius aliq; similes possidere aliquando negantur. l. 1. §. per eum. 8. l. permisceri. 52. pr. D. eod. d. l. certe. 6. §. is qui. D. prec. l. adquiruntur. 10. §. fin. D. de acquir. rer. dom. l. Celsus. 4. §. Iulianus. D. ad exhib. §. de ijs autem. 4. v. usufructuarius. Inst. per quas pers. cuiq; adq.

XVIII.

Nunc definitio possessionis proponenda est. Ælius Gallus J. C. ut est apud Festum, definiebat usum quendam rei. Usum, inquit vir magnus non usionem: hoc enim *χρησιον*: illud *καταχρησιον* exprimeret putat, quod an Romanæ linguæ ratio ferat, nondum constituimus.

XIX.

Nobis videtur Æ. Gallum ab effectu definire a eam possessionis speciem, quam domini, vel qui eorum loco sunt, habent in rebus suis quas ipsi tenent. Neq; enim obest quod non semper utamur: sufficit ideo res haberi. Quid? quod usus omnes, fere b actus possessorios, ex quibus possessio deprehendi & probari solet, ambitu suo continet. Certè veteres usum pro possessione acceperunt in usuapiendi voce: & Horat. 2. Ep. 2.

Quædam, si credas consultis, mancipat usus.

a) quam *causalem* vocant exemplo usufructus *causalis*, i. e. cum proprietate conjuncti, sed nos hoc loco agimus de possessione formali, i. e. separata à dominio. b) quorum potissima pars enumeratur & explicatur in l. vim factam. u. C. de vi.

XX.

Sequamur Græcos, qui definiunt possessionem, *σωματικῆς*  
*πράξεως*

περὶ ἀγῶναι & κατοχῆν. Et κατοχῆν quidem intelligi volumus  
detentionem, non latissimè dictam, sed quæ proficiscitur a ex a-  
nimo habendi & possidendi: hoc enim ipso verbo inest. l. 1. pr.  
D. de acquir. possess.

a) Nuda enim detentio quæ sine omni animo & deliberatione est, ut fu-  
riosis, infantis, dormientis: item quæ sine animo possidendi est; ut eorum, qui cu-  
stodie gratia in possessione sunt, uti diximus, possessio vere non est.

#### XXI.

Detentio vero ista, quia in facto consistit: ideo etiam posses-  
sio facti esse dicitur: l. 1. §. 3. l. possessionem. 29. D. eo. l. deniq; 19. D. ex  
quib. caus. maj. Quo ad affectus tamen quos producit, alijsq; respe-  
ctibus, etiam juris est. l. possessio 49. §. 1. D. eod. tit.

#### XXII.

Hoc sensu itaq; cognata habet possessio proprietatem seu  
dominium, usum & usufructum, quæ singula quomodo a dif-  
ferant à possessione, ad naturam ejus rectius & perfectius b in-  
telligendam operæ precium est cognoscere.

a) Differunt autem & distinguuntur licet una concurrant, & notatu di-  
gnum est quatuor jura in eadem re consistere posse: nimirum ista: Possessio, pro-  
prietas, usufructus, & pignus: l. permisceri. 52. D. h. b) D. Hubnerus princ.  
tract. de differentijs juris.

#### XXIII.

Differunt ergo a Dominium & possessio; tum adquisitione &  
amissione, ut infra dicetur: tum maxime, quia illud est jus opti-  
mum cum potestate utendi, abutendi, alienandi: hæc vero de-  
tentio tantum: & facti potius quam juris: illud itaq; jure impe-  
diri potest, ne sit: hæc non potest: Illud ex possessione oritur:  
hæc ex illo non item. Alia item est judicij forma de Dominio: alia  
de possessione: illud actionem in rem parit: hæc inter dictis & ex-  
traordinario fere judicio defenditur.

a) Senecæ verba, Epist. 73. stultam, nimirum, mortalium avaritiam  
possessionem proprietatemq; discernere: negotio quod illo loco agit satis apta  
sunt: nos in hac sententia nihil turbant: qui cum Alpiano constanter recla-  
mamus: Nihil commune habere proprietatem cum possessione. l. naturaliter.  
12. §. nihil commune. D. h. 1.

#### XXIV.

Differt ab usu possessio, quamvis ea veteribus pene confusa  
esse:

esse paulo ante significavimus; Differt inquam quia ille *χρησιν* continet, & in commoditate aliqua percipienda versatur: hæc *κατασιν* magis, & in detentione consistit: ille potest esse duorum vel plurium in solidum: hæc non potest. *l. si ut certo. s. §. si duobus. D. Commod.* ille est etiam publicorum locorum, adeoq; rerum extra commercium: hæc non *l. i. in fin. D. h.* Ille est rerum corporali-um, & incorporali-um: hæc tantum corporali-um: *l. 3. pr. h. t. l. 2. in fin. D. de. prec.*

XXV.

Possessio & usufructus hoc inter se distant: quia illa non nisi naturali adprehensione ad nos pertinere potest: hic etiam ipso jure: illa amittitur solo animo & dejectione per vim: hic non item, illa facti magis est: hic, quamvis in fruendo, hoc est facto consistat, jus tamen est. *l. i. D. de usufr. l. i. D. qu. dies usuf. leg. ced.* Illa usufructuarius conferre: hic non. B. F. possessor fructus tantum consumptos lucratur: fructuarius etiam perceptos: ille fructus acquirit etiam ab alio quocunq; perceptos: hic non nisi quos ipse percepit: ille si maturis fructibus decedat heredi- bus fructus percipere jus est: usufructuarij heredibus non est. *Cui postremo singularis Cujac. opinio adversatur: in l. fructus D. sol. matrim. & alibi. l. 7. pr. & §. §. duob. seqq. l. 9. D. de usufr. l. 66. §. pen. D. de leg. lib. 2. §. si quis à non domino. Inst. de rer. divis.*

XXVI.

Dividitur autem possessio in civilem & Naturalem. Quæ si- ve species tandem, si ve diversæ possessionis rationes, respectus qualitates sint, ut quidam loqui magis amant, in Juriscons. scho- lis disputari parum interest: dummodo in rebus eam distinctio- nem ineffe constet. *quod ostendit l. i. §. de jure D. de vi, aliq; textus quam plures.*

XXVII.

Civilis, si ve ut est in Basilicis *κατὰ τὰς νομῆς, νομῆ,* recte definitur: detentio rei, jure consistens, cum animo & opi- nione domini. Hoc sensu Theoph. *νέμεσθαι* esse dicit, *τὸ ψυχῆ δεσποζόντι & κατέχειν.* Possidere enim *κυρίως* & absolute po- situm plerumq; hoc modo accipitur.

Natu-

## XXIIX.

Naturalis vero possessio, est detentio rei in facto potissimum consistens cum affectione sibi habendi, sine jure tamen & animo Domini, l. si servus depositus, 22. §. 1. D. de nox. act. Hæc quibusdam vicissim dividitur in voluntariam & non voluntariam, sed ineptè.

## XXIX.

Bartolus præter has duas species tertiam quoq; adfert, quam corporalem vocat: quod merito repudiatum Alexandro alijsq; interp. vide tamen Cujac. in notis prior. ad tit. Inst. per quas personas &c. verb. Quia non possidet.

## XXX.

Azo post Placentinum unam tantum possessionem esse dicebat, quæ & civilis rectè diceretur & naturalis: quia inducta jure gentium, & adprobata jure civili. Tamen naturaliter & civiliter possidere distinxit nihilominus, & in diversis possessoribus utrumq; etiam in eadem re admisit.

## XXXX I.

Largiendum est eam possessionem quam quis jure naturali, puta per occupationem adeptus est, rectè naturalem dici posse: Aliud tamen est jure naturali: aliud naturaliter possidere: illo, causa, jus & origo possessionis demonstratur: hoc vero factum: illud civilem possessionem jure nostro producit: hoc naturalem quandoq;: quandoq; civilem. juxta l. 1. in pr.

## XXX II.

Civilis autem dicitur quod nobilior sit propter animum despoticum, quodq; pluribus effectibus firmata & sola juris civilis fictione & intellectu subsistere possit.

## XXXIII.

Naturalis ideo, quia naturali detentione potissimum nititur, nec justum seu civilem dominandi animum, neq; b tantas jure civili vires habet.

a) Non vero jure naturali, sicut Obrec. visum. Jure enim naturali nobis civilis acquiritur possessio. l. 1. pr. D. h. t. b) Non enim vires omnino nullas habet possessio naturalis: ideoq; de hac etiam intellectum volumus, quod dicitur: possessionem licet meri facti sit, plurimum tamen ex jure mutuari. l. 49. h. t. vid. Cui. 18. obs. 24. cui non esse adsciendum Gifanius, sed falso ut videtur

B

tur

eur, existimat ad d. l. 1. §. 3. Recte tamen cum ipso negabimus naturalem possessionem semper justam & legitimam esse.

XXXIV.

Notanda autem est abusus hujus verbi naturaliter possidere: interdum enim accipitur pro nuda detentione alterius nomine; quæ ne possessio quidem est. Ut quando servi, item coloni & depositarii dicuntur naturaliter possidere: l. communi. 7. §. neq; colonus. D. com. divid. l. stipulatio ista. 38. §. hæc quoq; stipulatio. D. de V. O. Interdum etiam naturalis possessio ponitur pro corporali seu naturali adprehensione, ex qua tam civilis quam naturalis possessio oritur & producitur. l. 1. princ. ubi rō naturaliter interpretamur cum Accursio: quem frustra reprehendit Obrec. l. 3. §. Neratius. D. eod.

XXXV.

Antiquiores Glossogr. dicebant civiliter possidere eum qui non esset in re, nec rem haberet in a conspectu. Naturaliter qui vel esset in re, vel eam haberet in conspectu. Civilem igitur Aldricus improprie possessionem esse, fictamq; & interpretativam dicebat.

a) in conspectu autem habere Iohan. Gloss. definiebat intra decem millia passuum: quem facete ideo oculatissimum Ferretus vocavit.

XXXVI.

Sed falsissime naturalem corpore & presentia, civilem animo & absentia a definiaverunt. Quod etiam Placentino olim animadversum qui non amitti naturalem adseruit, etiamsi res non esset in conspectu: Et post hunc Azo: qui ratione hac utitur: quia lex dicit: eum qui fundo egreditur, retinere possessionem: retinet igitur naturalem, quam reliquorum opinione, dum in fundo esset, habebat.

a) Naturalis enim possessio, uti nunquam sine animo acquiritur, ita etiam animo retineri potest; etiam secundum jus gentium: & contra Civilis etiam corpore. Ideoq; verissimum est, quod de civili possessione (sic enim recte interpretamur) Constantinus scripsit: ejus duplicem esse rationem: aliam que jure consistit: aliam que corpore: l. nemo 10. C. eod. Quod Rescriptum pleriq; interpretes sinistre percepisse videntur. Interim tamen non negamus Civilem possessionem aliquand; accipi pro ea, que solo animo nititur & retinetur: ut cum unus naturaliter; alter eandem rem civiliter dicitur possidere, &c. Atq; hujus principij ignorantia veteres Interpp. infinitis sese erroribus implicarunt.

Recte

## XXXVII.

Recte autem Aldricus unum non posse simul & naturaliter & civiliter possidere. Recte etiam cum eodem Placent. duos in solidum non posse simul possidere a naturaliter: quod verò addunt Civiliter posse. hoc verum non est. Azo verissimè, unum Civiliter, alium naturaliter eandem rem possidere dixit, in quo opinionem Johannis, quem Accursius postea & pleriq; alij secuti sunt, probavit.

a) gloss. in l. 1. §. ex contrario eandem sententiam R. & P. id est Rogerio & Petro adscribit. Qui in hac parte à Martino dissentiebant: hic enim valde inciviliter adferebat: & civilem & naturalem possessionem penes plures in solidum esse posse.

## XXXIIX.

Et exemplum est apud Pomponium in eo qui precario possessionem rogavit: & domino qui rogatus concessit: quorum utrumq; ait possidere: eum quidem qui rogasset: quia possideat corpore: dominum verò: quia non discesserit animo possessione. l. & habet. 15. §. eum qui. D. de prec. Eadem antea fuerat Sabini sententia. l. 3. §. ex contrario: à qua discedit Cujac. 9. obs. 33. Sed si rogatus nihilominus possidet, quæ Causa est quod non utatur accessione temporis quo precarius possedit, si res vendicetur antequam precarium rumpatur? l. Pomponius. 13. §. si quis precario. tit. nost.

## XXXIX.

Aliud item apud Julianum & Javol. in pignore: quod tam creditor quam debitor possidet. Creditor autem naturaliter. Licet Gifan. Civilem ei possessionem tribuat. l. qui pignoris. 36. h. l. servi. 16. D. de Vfac. l. si servus depositus. 22. §. 1. D. de nox. act.

## XL.

Alia Exempla Azo proposuit: in proprietario vel domino, qui civiliter Vasallo, Emphyteuta, Fructuatio, & Colono qui ad longam tempus conduxit, qui omnes naturaliter possident.

## XLI.

De Vasallo ipsi adsentimur, quam vis hunc eruditissimi viri: quidam civiliter possidere: quidam (inter quos est Obrechtus) plane, non possidere, contendant. De domino tamen feudi quem possidere post Johan. Azo dixit, aliter sentiendum autumamus. Idemque est in Emphyteuta & agri vectigalis domino. De qua-

si possessione domini, quod interpp. tradunt, ad rem nostram  
parum pertinet'.

#### XLII.

Fructuarium viri docti possidere omnino negant, qui juris  
civilis a auctoritatibus non contemnendis ducuntur. Nos ta-  
men rectè atq; ordine facturos credimus, si communis b opinionis  
catenæ hoc loco adhæreamus. Ferretus contra quam ij, quos  
diximus peccat, & fructuarium non naturaliter tantum, sed civi-  
liter quandoque possidere adfirmat: quod paradoxon ejus admi-  
ramur. In l. naturaliter 12. itaq; τὰ videtur, verbum *παλασιον*  
non esse renebimus.

a) l. sciendum. §. 1. D. qui satisd. cog. l. raptores. 54. §. sin autem Dia-  
conissa. C. de Epis. & Cler. l. 1. §. quod ait Prætor. D. quor. legat. alijsq; sup. in-  
dicatis th. 17. b) Menoch. de Recup. possess. Rem. 1. n. 69. Non est alienum  
huc annotare duos è Cicerone locos, qui sunt in Orat. pro Cecinna, qui perquam  
adpositi sunt ad rem presentem. pag. 317. D. Possedit inquit Cesennia: Vfus enim  
ejus & fructus fundi, testamento viri fuerat Cesennia. Et pag. 333. Cesenniam  
possedisse propter Usumfructum non negas. Bocerus dicit usufructuarium pos-  
sidere naturaliter, sed non vere: quod intelligi non potest.

#### XLIII.

Ceterum plures eandem rem in solidum possidere non pos-  
sunt: hoc enim contra naturam est: quæ non admittit penetra-  
tionem dimensionum & substantiarum, aut confusam rerum cor-  
porearum commixtionem. Itaq; cum possessio sit comprehensio  
rei corporalis, non magis fieri potest, ut eadem res sit apud plures  
in solidum: quam ut tu stare videaris in eo loco in quo ego sto:  
vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. l. 3. §. ex Contrario.

#### XLIV.

Inter veteres hoc de re dissensum fuisse nobis vero simile  
non est. Neq; ulla mentio fit controversiæ, quam inter Sabinia-  
nos & Proculianos fuisse vir magnus prodidit. Neq; Trebatius  
illam sententiam improbat: sed uno casu distinctione utebatur:  
si unus juste alter injuste possideret: quod Labeo rectè refutavit  
quia ad summam. i. e. ad naturam & veritatem possessionis, non  
multum interest, juste quis an injuste possideat: satis enim est si  
res corporaliter teneatur. Hoc vero quod Labeo in Trebatio re-  
prehendit notandum est ad Sabini sententiam de præcario, qua ille:  
super-

superiorem regulam saltem temperabat, non pertinere. *d. §. ex contrario. Cujac. l. 9. c. 33.*

XLV.

Cum igitur plures rem eandem detinent, non in solidum possident, sed concursu partes faciunt: quod Ulp. de pluribus in totum & æqualiter in possessionem missis tradidit. *l. si finit. 15. §. cum plures. D. de dam. infect.*

XLVI.

Alia porro divisio possessionis est in justam sive legitimam: & injustam. justa est quam quis justo titulo & bona fide habet. Injusta contra. Non nescimus esse qui hanc divisionem cum superiore eandem, & naturalem nihil nisi injustam esse contendunt: at vero illi in manifesto errore versantur. Neq; enim omnis naturalis injusta est, licet civilis semper sit justa.

XLVII.

Injustæ possessionis, quæ & corporalis plerumq; vocatur, *l. quod servus. 24. h. t.* species sunt clandestina & violenta: conjungitur hisce in quibusdam interdictis precaria: sed illa vitiosa aut injusta ideo non est.

XLVIII.

Clam dicitur possidere, qui furtive in gressus est possessionem ignorante eo quem sibi controversiam facturum suspicabatur, & ne faceret timebat. *Ulp. l. clam. 6. D. h. t.* ut vero clam quis possidere deprehendatur origo nanciscendæ possessionis semper spectari debet. *l. 40. §. servum. 2. D. eod.*

XLIX.

Vi possidet qui per vim invasit possessionem: vel qui initio clam quidem absente domino ingressus, postea redeuntem non admittit vel deterruit. *d. l. clam. possidere. in fin.* Sed si quis vacuum possessionem ingrediatur & postea dominum venientem repellat, non intelligitur vi possidere. *l. 4. §. item si occupaveris. 26. de usuc.* An igitur clam possidet? Zasius negat: quem contra Gifanium defendemus.

L.

Et hæc quidem vitiosæ possessionis species sunt: quæ ipsam rem vitio adficiunt. Alia sunt personarum vitia, ut si quis non vi quidem aut clam, sed mala fide possideat: potest enim quis ita

possidere licet nec vi nec clam possideat: quin tamen etiam hi  
malæ fidei sint dubium non est. *l. 3. §. vel etiam. 22.* Falsum enim  
est Accurſi postulatam: clandestine possidere & mala fide, esse  
convertibilia. *in l. clam. 6. v. bona fide. b.*

a) De violenta possessione quin ipsam rem vitio adficiat, dubium nullum  
est: de clandestina idem adferit gl. in *l. vitia. C. eo. Cujus sententiam in mo-  
bilibus verissimam esse existamus: de immobilibus aliud dicendum, arg. l. fur-  
tum. 37. juncta l. seq. D. de usurp. & usuc.*

#### L I.

Nunc de rebus quæ possideri possunt breviter dicendum est.  
Est autem possessio propriè rerum corporalium quia solæ teneri  
& tradi possunt. *l. 3. pr.* In rebus incorporalibus usus pro de-  
tentione est, & patientia domini, pro traditione: unde harum  
rerum quasi possessio nominata.

#### L II.

De animalibus feris notandum est, eas non possideri, quæ in  
sylvæ vagantur, licet sylvæ circumseptæ sint & dominio nostro  
subjectæ: idem est de piscibus, qui in stagnis, pariter ac feræ in  
sylvæ, naturali libertate fruuntur: Inclusi vero in piscinis vel fe-  
ræ in vivarijs omnino possidentur. Itemq; Columbæ & apes a-  
liaque animalia quæ consuetudinem avolandi, eundi & redeundi  
habent, quamdiu eam consuetudinem retinent, à nobis possi-  
dentur. *l. 3. §. Nerva. 13. & seqq.*

#### L III.

Res universitatem designantes, ut domus, navis, armarium,  
cum possidentur, Paulus monet non ideo res singulas, ut regu-  
las, lapides, tabulas, in domo vel navi possideri. In grege tamen  
aliud est. *l. 30. pr. b. l. 30. D. de usurp. & usuc.*

#### XL IV.

Dèniq; pars incerta possideri non potest. *l. 3. i. 2. l. locus. 26.  
D. h. r.* Item liber homo, extra bonam fidem.

#### L V.

Sequitur de acquirenda possessione. Et primum de personis  
quæ acquirere possunt, & per quas possumus. Non possunt: Fu-  
riosus, & infans *l. 1. § 3.* utriq; tamen possessio acquiri potest ex  
causa peculiaritatis: infanti etiam a cum auctoritate tutoris ipsi tra-  
dicum

dicum est. Quid si tutori b tradatur; Gif. putat possessionem infantum non adquiri: quod ne falsum sit videamus. *l. quamvis. 32. h. l. 3. C. eod. l. 26. C. de donat.*

a) Sine tutore infanti etiam acquiritur vacua ipsi tradita possessio: quod Decij Imper: Rescripto continetur: sed hoc cum temperamento accipiendum putamus: si ejus ætatis infans fuerit, ut saltem aliquo sit intellectu. Item quod etiam Connan. monuit, ut hoc admittatur, in sola causa donationis. In Furioso ut idem dicamus necesse non est: licet hoc viro doctissimo quem jam laudavimus videatur. b) Quid si non tradatur; sed tutor occupet, puta, rem nullius à se inventam, cuius possessionem velit adquirere pupillo? Aliud dicendum Connan. existimat: nempe tutoris illam voluntatem nihil operari nec pupillo quidquam quæri. *lib. 4. c. 8. n. 5.*

#### LVI.

De municipibus sive universitate dubitatum est inter veteres jurisconsultos, invaluit tamen usu, quod Ulpianus testatur, ut municipes possidere possint, & per alios tam per servos quam liberas personas possessionem adquirere. *de quo in l. 1. §. ult. & l. seq. D. h. t.*

#### LVII.

Possimus autem adquirere possessionem per servos proprios vel bona fide possessos: per filios quos in potestate habemus, non vero opinatos *l. 4. l. 50.* per servum in quo usumfr. habemus: etiam per fugitivum *l. 50. §. 1.* Item per servum communem: non autem per pignoratium: tam creditoris quam debitoris respectu: *l. 1. §. 5. & seqq.* neq; per servum hereditarium possessionem rerum ejusdem hereditatis etiam post aditam hereditatem. *De quo perplexa est inter interpp. disputatio in l. 1. §. veteres l. 38. ubi Gifan. & Donel. li. 9. c. 6. Cui. 24. obs. c. 10.*

#### LIX.

Per procuratorem deniq; tutorem & curatorem: Et de Procuratore quidem scriptum, etiam a ignorantibus adquiri, idque utilitatis causa receptum esse. Quod nos ad reliquos rectè trahi statuimus. *l. 1. §. 20. l. 18. pr. l. 42. §. 1. l. 49. in fin. h. t. §. ex his itaq; 5. Inst. per quas pers. Cujac. lib. 24. obs. 9. Diss. Gif. ad l. 26. C. de donat.*

a) quidam Dd. speciale mandatum requirunt, sed ineptè. *l. 1. §. per procuratorem. & ibi Iohan. Gloss.*

#### LIX.

Servi & filij nostri licet ex omnibus causis dominium nobis

bis et jam ignorantibus adquirant : tamen extra causam peculij, neque usucapiendi occasionem, neque possessionem nobis inscijs acquirere possunt. De quo postremo quidem magna inter viros doctos agitata lis est. *Cujac. d. loc. & ad l. servus vetante. 62. D. de V. O. Don. lib. 9. cap. 6. Zas. & Gif. ad l. i. §. item adquirimus. h. t.*

L X.

Modus acquirendi possessionem omnium primus est occupatio, quæ naturalis possessio à Nerva vocatur ex qua dominia olim ceperunt, ejusq; vestigia hodie supersunt. *l. i. §. 1.*

L X I.

Huic proximus est ex jure gentium traditio, propria rerum mobilium, quæ inductio dicitur in immobilibus. *a* Loco etiam eorum est patientia domini, cum is *b* permittit, aliquem possessionem vacuum ingredi & in ea versari. *l. 2. C. eod.*

*a) l. qui absentis 38. §. 1. l. pen. D. eo. l. 2. C. h. t. b) nisi enim permittit, quicumq; propria auctoritate possessionem rei venditæ vel quocumq; titulo debite occupaverit prædo est: l. si ex stipulatione. 5. D. h.*

L X II.

Notandum *a* est possessionem ex pluribus causis acquiri & defendi posse : qua in re differt à dominio quod non nisi ex una causa acquiri potest, etiam si plures causæ concurrerent. *Paulus in l. 3. §. ex pluribus 3. h. t. l. non ut ex pluribus 159. D. R. I.*

L X III.

Nemo tamen sibi ipse causam possessionis suæ mutare potest: quamvis aliunde sæpe contingat ut mutetur: imo ut ex civili fiat naturalis, & injusta : & contra. *Cujac. 18. obs. 24. l. 3. §. illud & ib. Zas. n. 4. & seq. D. eod.* sic qui civiliter & bona fide possidet: si controversia ipsi moveatur, post litem contestatam incipit naturaliter possidere. *Ideoq; non recipimus quod Obrec. tradit litis contestatione & naturalem & civilem possessionem infirmari: nec possessorem vere possidere intelligi: sed animum possidendi amittere.*

L X IV.

Ad possessionem modis quos diximus acquirendam, animo opus est & corpore: & quidem *a* utroq; simul. Possessio enim nec per se animo, nec per se corpore acquiritur. *l. 3. §. 1. h. Paull. sentent 5. tit. 2.*

*a) Neq; enim animus jurat, nisi rem occupes & corpore adprehendas: neq; item*

neq; item res, corpus, adprehensio nisi animo accedente. In possessione acquirenda pariter utrumq; necessarium: & utrumq; in facto consistit: Nam quod Conman. lib. 3. c. n. 4. dicit: in possessione magis considerari occupationem, quam animum: illam facti esse: hunc à jure: hoc intellegi simpliciter non potest.

LXV.

Qui igitur animum non habet, licet corpore rem occupet vel teneat, non possidet: ut furiosus, dormiens, vel infans &c: item amicus, qui fundum intrat forte deambulandi causa. l. 4. h. Item si quis errat in corpore. l. 34. h. puta, si cui Sempronianus fundus erat venditus, jussus est ire in Cornelianum, & in eum iverit sempronianum esse putans, non acquirit possessionem. Ex eodem principio dependet quod de parte vel loco incerto traditum est, eam possideri non posse: ut si quid ita tradam: quidquid Titius possidet: vel quidquid mei juris in eo fundo est. Nam qui ignorat inquit Ictus, nec tradere nec accipere id, quod incertum est, quantum nimirum sit aut ubi sit, potest. l. locus. 26. D. h.

LXVI.

Sed quid? si quis non in re, sed alio modo erret: puta: si quis fundum ingrediat, fructusq; decerpat, vel aliud agat, eo animo, ut hoc pacto possessionem, quam sibi jam ante acquisitam, sed falso putat, retineat: an hic animus retinendæ possessionis, hac ratione valeat, ut ei possessionem adquirat? sic affirmabimus. Cum recepta Dd. sententia contra glos. l. 3. in princ. ad verb. animo.

LXVII.

Acquirere tamen possumus animo nostro, & corpore alieno: cujus tamen animus etiam concurrat necessum est: ut si procuratori mandavero,

LXVIII.

Corpore alieno etiam possessionem adquire, cum quis constituit se meo nomine possessorum, l. quod meo 18. pr. D. h. t. vel cum rem suam à me conducit, vel eam mihi donans usufructum sibi retinet: quo casu usufructus retentio pro traditione habetur. Cuj. 19. obs. 18. l. quisquis. 28. C. de donat. Quod postremum Azo vocat unum mirabile mundi.

LXIX.

Aliquando etiam & animo & corpore alieno: quomodo furiosus per liberos vel servos ex re peculiari, infanti vel pupillo  
per tu-

per tutorem, minori per Curatorem possessionem adquiri diximus: in peculio tamen, non tam ignorantiam quam tacite contententi acquiritur. *l. peregre. 44. §. 1. h.*

LXX.

Corporis autem adprehensio omnino necessaria est: neque natura possessionis, quæ in naturali detentione consistit, hoc patitur ut sine corpore eum adipiscamur.

LXXI.

Unde est quod aditione hereditatis Dominium quidem adquirere: Possessionem vero non possimus. Quod etiam in suis heredibus verum est, quidquid alij sentiant. Etiam jure feudorum, in filio vel agnato; in quos ipso jure transferri possessionem, defuncto vasallo frustra contendunt. *l. cum heredes. 23. l. 30. §. 5. h. l. 1. D. de liber. l. cum miles. 30. D. ex quib. causis. mai. gl. c. 1. de feud.* Idemque est si quis alicui succedat in officio, neque in ipsum statim transmittitur possessio quam prædecessor habebat. *Resol. Quæst. Lips. 55.*

LXXII.

An vero lege vel consuetudine effici possit, ut ipso jure & sine naturali comprehensione possessio defuncti in heredem transferatur, acriter disputatum est. Receptum a illud equidem moribus Italiae, Hispaniæ, Galliæ, Belgiæ: sed si res jure nostro & recta ratione censenda est, contra naturam possessionis. *l. cum heredes. 23. D. eo.*

a) uti videre licet apud Tiraquel. *Tr. le mort. Saisit le vis. frue, de defuncti possessione in hered. continuanda. Covar. 3. variar. 5. n. 6. Qui singularem hinc speciem effingunt, quæ possessio civilissima dicitur. Menoch. de recuper. poss. Rem. 1. n. 392.*

LXXIII.

Non minus absurdum est quod ex *l. raptoras. 23. C. de Episc. & Cler.* invita quidem illa imperatoria Minerva extruunt: nimirum possessionem omnium bonorum, illius qui monialem rapuerit, ipso jure in asceterium vel monialem derivari, sine ulla alia adprehensione. *v. Zas. ad pr. l. 3. n. 19.*

LXXIV.

Multos præterea casus Glossographi concinnant quibus solo animo possessio adquiratur: *in l. 3. in princ. D. eod.* sed animadvertendum

rendum est, semper aliquem actum corporalem aut signum concurrere, quod suppleat si quid naturali adprehensionis deest, & loco ejus accedat. *l. quarundam. 51. h. t. sed hæc ficta & corporis quodam genere facta adprehensio locum solummodo habet, cum res ab alio possidetur, ejusq; voluntate in nos transfertur: non vero in rebus que vacant, vel quas sine vel præter voluntatem possessoris acquirere cupimus. Quod omnino notandum est: quia in ea re summus practicozum olim erravit. v. Zas. in d. l. 1. §. si jusserim. n. 11.*

#### LXXV.

Hujusmodi actus signa vel symbola varia sunt: ut conductio: *l. quedam mulier 77. D. R. V. qui bona fide. 18. pr. h. t. Precarij rogatio: l. interdum. 21. pr. h. Retentio ususfructus: de qua supra. Rei demonstratio & presentia. Cui. 4. obs. 3. l. quod. 18. §. si venditorem D. h. t. l. pecuniam. D. de solut. Cum oculis atq; adeo adpectu & adfectu tradentis voluntate concurrente, adprehenditur possessio, *l. 1. §. pen. h. Clavium vel instrumenti traditio: l. clavibus. 74. D. de contra. emt. l. 1. C. de donat. Si res ponatur in domo alicujus. l. 18. §. 2. D. eo. Custodiæ adpositio. l. quorundam. 51. h. Siggillum vel signum, princ. & §. si dubium l. quod si neq; 14. §. 1. D. de peric. & comm. rei vend. Sic in feudis annulus & fultis.**

#### LXXVI.

Huc pertinet memorabilis illa disputatio, quæ olim inter Andrias & Chalcidenses existit. Bello enim, quod sedium petendarum causa Thraciæ intulerunt, duos milites ad Acanthum urbem, quam à civibus desertam audierant, exploratum miserunt: qui cum deprehenderent hostes profugisse, cursu ad urbem con tenderunt, uterq; eo animo, ut pro suis eam prior occuparet. Chalcidensis vero cum pernicitate vinceret, Andrius hastam vibravit eamq; in porta fixit, adeoq; cum corpore non posset, telo alterum prævertit. Hinc orta est quæstio, utri populo possessio acquisita & urbs occupata esset? ceperunt autem arbitros qui certamen dirimerent, Erythræos, Samios & Parios. Priores duo populi pro Andrijs: Parij pro Chalcidensibus judicarent: utri rectius? Nos calculos nostros cum parios conjungemus. *vid. Platarch. lib. Question. Roman. mihi Tom. 2. pag. 298. A. B.*

#### LXXVII.

Porro huc pertinet quod vulgo de constituto possessio jacta-

C 2

tur

tur. i. e. cum ego te constituo & facio possessorem nudo consensu, nulla adprehensione suo aut alio actu corporali accedente: hoc vel alio pacto: dono tibi omnia bona mea & constituo me possessorem nomine tuo. Hoc vero jus quia ejus in jure civili nusquam fit mentio: & contra rationem juris & naturam possessionis incurrit, à viris doctis inane glossogra: figmentum judicatum est. *Gif. ad l. 10. D. de donat.*

*Extat de hoc jure liber singularis And. Tirac. cui nomen de const. possess. ejusq; sedes ordinaria est in l. quod meo 18. h. r. Testatur Zas. in l. 3. §. partem incertam. n. 8. hoc jus in Italia & Germania esse cotidianum. Nos de nomine quod impugnant, non valde laboramus: rem vero ipsam non absurde à sanioribus interpretibus tractatam & propositam agnoscimus: ideoq; eorum defensionem pro virili in nos suscipiemus.*

### LXXIIX.

Adeo autem corpus sive naturalis adprehensio exigitur: ut Thesaurum quem scis in fundo tuo positum esse non possideas, nisi loco moveris. Qua in re Sabinum, contra, Proculum, Paulus & Papin. secuti videntur, l. 3. §. Neratius. l. peregre. 44. §. pr. h.

### LXXIX.

Sciendum deniq; est, in fundi vel prædij possessione dictis modis per naturalem adprehensionem acquirenda satis esse, si una pars prædij occupetur, neq; singulas partes aut unam quamq; glebam perambulari oportere, si modo reliquæ partes à nemine possideantur. l. 3. in pr. D. eo. In acquirenda autem possessione totius alicujus provincie, vel feudi in quo plures sunt fundi idemque juris sit, longa est inter doctores controversia: vide ad quos se remittit Vultejus. lib. 1. de Feud. c. 10. n. 12. Zas. d. l. 3. in pr. n. 25. & seqq. præcipue n. 28.

### XXC.

Istis modis acquisita possessio retinetur solo animo, eoq; solo amittitur: sed si animo amittitur ratio suadet: ut etiam corpore amitti intelligatur: non tamen contra, si corpore etiam animo: Itaq; simul verum est quod Paullus dicit: possessionem uti animo & corpore acquiritur, ita etiam utroq; amitti. l. 3. §. in amittenda. 6. l. quemadmodum. 8. h. l. fere. D. R. I. *Que tam de naturali quam civili possessione intelligi debent: contra quam vir summus per quem præcedit lib. 29. cap. 7. adseruit: naturalem scilicet solo corpore amitti: civilem non*

*Si quis*

## XXCI.

Si quis igitur in fundo sit, sed animo constituat se nolle possidere, protinus amittit possessionem. Qua in re differentia est inter dominium & possessionem, quia dominium nihilominus ejus manet, qui dominus esse non vult: quia enim juris est, certis etiam modis jure introductis, non nuda voluntata amittitur. *d. l. 1. in amittenda. 6. l. si quis vi. 17. §. 1. h. t. Aliter Conmanus lib. 3. c. 9. n. 1. & 2. Zasius lib. 2. intell. sing.*

## XXCII.

Itaque etiam cum maritus uxori donat & possessionem ipsi cedit: licet dominium sua voluntate propter juris prohibitionem, transferre non possit, possessionem tamen amittit. *l. 1. §. si vir uxori.* Sed an eam maritus in mulierem hoc casu transfert? Sic defendemus: sed naturalem tantum mulieri acquiri. *l. si cum 26. D. de donat. int. vir. & ux.* Justam tamen & licitam, quo ad usurarium, fructuum elaboratum perceptionem: *l. fructus. 45. D. de usur. l. ex animo. 15. §. 1. & ll. daabus seqq. D. de donat. int. vir. & uxor.* non vero quo ad usufructum. *l. 1. §. item vir. D. pro donat.* Gifanius dicit civiliter mulierem possidere, quia usufructuarius: utrumque falsum esse probabimus. Ceterum de dotis possessione ambigendum non est, quin ea penes maritum sit: non vero penes mulierem. Quamvis uterque ratione dotis aliquando pro possessore habeatur: sed tali respectu qui ad rem nostram nihil adtinet. *l. sciendum. 15. §. si fundus. D. qui satisd. cogant.*

## XXCIII.

Quicumque autem rem tradit eo animo, ut dimittat possessionem, protinus eam perdit, licet alter cui traditur eam non acquirat: quod itidem in dominio *b* secus habet. Plerumque tamen non simpliciter aut pure res tradita intelligitur ut possessionem puta, venditor aut donator statim amittat: sed quodammodo sub conditione ista: si emptor aut donatarius, in possessionem ire jussus, eam adquisierit.

a) *l. 1. §. si vir. l. quod meo nomine. 18. §. 1. eod.* Celsus sic definit: si quis furioso, quem suo mentis existima verit, tradat: licet furiosus non acquirat: alterum tamen amittere possessionem. Quid ergo si quis sciens furioso tradat? Putant hunc possessionem non amittere. Quod profecto obscurum est. Illa vero species faciliior: si tradam procuratori tuo quem ego existimabam nomine tuo

accipere, cum tamen suo nomine acciperet: perdam possessionem: licet tu non  
adquiras: neq; procurator tuus: ait Connan. quam postremam partem falsam  
credimus: Aliud tamen est in dominio. l. qui mihi. 13. de donat. Sed si sciens  
procuratorem suo nomine accipere, ut tibi postea cedat: non amittam ante-  
quam tibi cesserit. l. 1. §. per procuratorem. b) l. vir uxori. 39. vers. sed si  
promissor. D. de donat. inter vir. & uxor. l. si ego. 9. in pr. D. de jur. dot. l.  
cum quis. 28. §. si debitorem. D. de solut. c) l. si me in vacuum. 34. D. eod.  
l. cum fundum. 18. D. de vi.

#### XXCIV.

Hoc verò difficile est cognitu, an possessio sub aliqua con-  
ditione, vel simpliciter & per jure translata censeatur. Præter  
superiores species operæ precium est hanc etiam notari: si quem  
absens in possessionem mittam: puta induci jufferim vel ire i-  
psum & occupare: non amittam ego possessionem meam, nisi  
eam is adquisierit: sed si præsens alicui tradam: qui propter er-  
rorem suum vel animi defectum, quem ego ignorabam non ad-  
quirat: ego nihilominus possessionem amitto: Quia animum ha-  
bebam in præsentia possessionem transferendi.

#### XXCV.

Quod autem diximus animo solo retineri possessionem, id  
ita intelligendum est: si etiam facultatem rem naturaliter adpre-  
hendendi retineamus. sine hac enim animus nihil operatur: sed  
oportet ut semper adsit naturalis comprehensio, si non actu & re-  
ipsa saltim *δυνάμει* & potestate. Idq; in multis rebus observatum  
dignum est, & necessarium.

#### XXCVI.

Si quis me absente possessionem fundi mei invaserit, a non  
quidem statim possessionem amitto, sed animo eam retineo: hoc  
vero tamdiu donec revertens, b ingressu prohibitus, vel metu  
violentiæ accedere non ausus fuero: atq; ita spem & potestatem  
rei comprehendendæ à me velut abdicavero. l. 1. §. interdictum.  
D. unde vi. l. 3. §. in amittenda vers. si quis nunciet. l. etsi. 7. l. clam possidere.  
6. §. qui ad nundinas. l. si quod. 18. §. ult. eod.

a) Neq; enim is, qui vi vel clam me absente ingressus est, statim possessio-  
nem adquiret. d. §. qui ad nundinas. (quod contra Iohan. & Accurs. notandum  
est: qui hoc casu uni naturalem, alteri civilem tribuunt. §. ex contrario.)

b) Quo

b) *Qui prohibitus est vi ne ingrederetur an videatur dejectus, acure disputat Cicero, orat. pro Cecina. Quod quidem hodie tralatitium est & certum. l. 3. §. si autem. D. de vi.*

### XXCVII.

Dejectioni & occupationi violentæ similis est ea occupatio, quæ vi & inundatione fluminis aut maris contingit. *l. qui universas. 30. §. 3. h. 1.* Hoc tamen dissimile habent, quod inundatione possessionem & statim & ignorantes amittimus: non autem occupatione, quamdiu eam ignoramus, aut scientes redire & recuperare constituimus.

### XXCII.

Verum uti immobilium rerum possessio vi, sic eadem ratione mobilium furto amittitur. Hoc tamen diversimode: quod statim & nobis a ignorantibus hoc in mobilibus fiat. Et de mobilibus quidem generaliter *b Nerva* tradidit, hæcenus possideri, quatenus sub custodia nostra sint, i. e. quatenus, si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus.

a) *l. rem. 15. l. si rem mobilem. 47. h. Cui consentaneum est, rei apud alium depositæ possessionem ignorantes nos amittere: si tamen depositarius eam furtive contraxerit. l. qui universas. 30. §. fin. l. si rem mobilem. 47. l. 3. §. si rem. 12. eo. b) l. 3. §. Nerva. 13. h.*

### XXCIII.

Hinc est quod Thesaurus in alieno defossus possideatur donec ab alio loco motus sit: Item quod Thesauri possessio immemoria ejus partis ubi depositus est statim non amittatur: quia utrobique verum est adhuc sub custodia nostra esse. *l. peregre. 44. eod.*

### XC.

Contraria vero ratione, si rem aliquam amiserimus, ita ut non inveniatur: vel si quid naufragio aut alio casu in mare submergatur vel flumine abripiatur, possessio statim amittitur: a dominium tamen retinetur. Quod notandum est contra *b iniquissimam* illam consuetudinem, multis in locis receptam, qua res tempestatis causa ejectæ vel naufragio perditæ a fisco arripiuntur

a) *l. Pomponius. 13. l. interdum. 21. §. quod ex naufragio. D. h. r.* b) *jure na-*

re civili grave furtum committit & publicatione bonorum punitur qui res e-  
jusmodi sibi usurpat. Auth. Frid. Navigia. C. de furt. Qua consuetudines omnes  
contrariae abrogatae & prohibitae sunt. Gail. 2. obs. 18. solentq; in Camera Imper-  
iali mandata sine clausula decerni contra detentores harum rerum. Roding.  
Pand. Camer. lib. 1. tit. 12. §. 25.

XCI.

Animalia quod adinet, cicura quidem & mansueta, licet ea  
sæpè ubi sint ignoremus vel statim reperire non possumus, hacten-  
us tamen sub custodia nostra esse intelliguntur, donec ita aber-  
xaverint, ut tempore locisq; consuetis non redeant. Feræ au-  
tem quamprimum in naturalem libertatem fuga se vindicaverint  
possideri desinunt: non vero cicuratae, quæ ire & redire ex con-  
suetudine solent: hæ enim animi quodam genere possessionem  
sui nobis conservant, donec eam redeundi consuetudinem abje-  
cerint. d. l. 3. §. item feras.

XCII.

De Servis singulariter receptum est, ut etiam si custodiam  
nostram evaserint, tamen à nobis possideantur, quamdiu nemo a-  
lius eos possidere ceperit: optima ratione & necessaria: ne servi  
nos sua ipsimet possessione privare possint. l. 1. §. per servum qui  
in fuga. 14. l. 3. §. 10. l. 15. D. eod.

XCIII.

Ceterum in amittenda possessione, cum per alios posside-  
mus, i. e. animo quidem nostro, corpore vero alieno, eadem ferè  
ratio est, quam cum nosmet ipsi possidemus. Ferè dicimus: quia  
uno casu valde inter est: nimirum cum servus vel colonus noſter  
deserendæ possessionis causa fundo decesserit, non aliter amitti  
possessionem a Papinianus ait, quam si eam alius b ingressus sit:  
quod cum ipsi discedimus animo deserendi, secus est, protinus  
enim amittimus.

a) l. peregre 44. §. quibus explicitis. D. t. e. Donel. nihilomagi amitti  
adserit etiam si alius rem occupet: propter constit. Iust. in l. ult. C. eod. à quo di-  
scedimus. b) interim enim retinetur, licet servus vel colonus discesserit. l. 3.  
§. quod si servus. l. qui fundum. 7. D. pro emt. l. cum quis 31. D. dol. mal.  
Qua in re dissensionem in libris nostris nullam esse defendemus: quidquid de  
Sabinianorum & Proculianorum diversis sententijs alij tradant. Neq; enim illo  
modo leges conciliari, sed ad pugnam inter se committi autumamus.

Reli-

XCIV.

Reliqua similiter se habent; nam & decessu sive a morte servi vel coloni, deiectione b violenta, traditione deniq; eorum, possessionem aequè perdimus, atq; si eadem nobis ipsis contingerent. Si vero defidia sua vel dolo possessionem dereliquerint, vel prodiderint, ut locus alijs aperiatur ad res nostras invadendas, nihil penitus præjudicij domino generetur, ut possessionem amissæ intelligatur. *de qua re est Iustiniani pulchra Constit. in l. ult. C. h. t.*

a) Si tamen Dominus mortem coloni vel servi resciverit: & possessionem adipisci neglexerit, eam amittit. *l. si de eo. 40. §. 1. & ibi Cuj. ad Af. lib. 7.*

b) Quamvis hoc nolit Duaren. & Gif. Sed dubitari potest an traditione ficta Colonus possessionem in alium transferre possit: puta si alteri fundum vendiderit, & hunc ab eodem statim conduxerit: de quo in *l. quamvis. 32. h. t. Connan. & Gifan. putant hanc traditionem ad intervertendam veri domini possessionem satis momenti habere: quam sententiam ulterius examinari fas est.*

XC V.

Deniq; amittendæ possessionis modi etjam hi sunt: Interversio i. e. cum ij, qui nostro nomine possident nos possessione nostra intervertant: ut si quis commodatum vel depositum reddere negaverit. Si tamen justa ex causa hoc fecerint possessionem non amittimus. *l. si quis rem. 20. h. t. Captivitas, a arrogatio, b manumissio, c illatio mortui, speciei confectio, non autem furor. Atq; hæcenus de possessione amittenda.*

a) Qua facta amittitur possessio & transfertur in arrogatorem: quem modum numerat Zasius inter eos quibus solo animo transfertur possessio. *l. 3. in princ. n. 16. D.* b) *l. qui universas. 30. §. item quod mobile. D. h. t.* c) *d. h. qui universas. §. 1.* d) *d. l. 30. §. item quod mobile.*

XC VI.

Sequitur videre de Effectis & commodis possessionis: primum autem est quod ex possessione a oriatur dominium. Deinde quod ad b jus auctoritatis & usucapionem proficit.

a) de quo in *l. 1. D. h. & in l. traditionibus. C. de pact. §. per traditionem. Inst. de rer. divisi.* b) Auctoritas fundi & jus auctoritatis quid sit apud Cic. & in legib. XII. vid. Hotom. com. ad d. orat. pag. 75. l. ult. de Evict.

XC VII.

Illud etjam non exiguum commodum est quod bonæ fidei  
D
posse.

possessor, *a* quamdiu talis est, omnes fructus quos percipit *b* suos facit. Hoc tamen in hereditatis petitione secus est: eo enim casu fructus ipsi hereditati *c* adquiruntur & adcrefcunt.

a) hoc est quod in *l. bonæ fidei. 48. D. de acquir. rer. domin.* Paullus dicit Interim: quod verbum qui ita interpretantur: *i. e.* donec res evicta est: in manifestum errorem improvidi præcipitant: sequitur enim post litem contestatam, *i. e.* postquam in mala fide constitutus est, possessorem fructus adquirere, quod *è d. v. c. 1. v. jure nostro est: neq; salvari potest exceptione nihili: nimirum adquirere, sed sine effectu, qualem acquisitionem juri civili in cognitam adserimus.* b) *d. l. bonæ fidei. alijsq; notissimis.* c) *l. 20. §. 3. D. de hered. petit.* Hoc autem æquitatis causa placuit ut ne cogatur bonæ fidei possessor hereditatis, eos fructus restituere, quibus consumtis locupletior factus non est. *l. 25. §. 11. ibi ne in totum damno adficiatur. D. d. t. Placet tamen distinctio inter eum, qui ex justo titulo; puta, ex emto vel donato: & qui pro herede vel similiter possidet. Horom. Conf. 18.*

#### XCIIIX.

Hoc loco referri omnino debet quod Justinianus dicit longè commodius esse possidere quam petere: atq; ideo plerunq; & fere semper ingentes existerent contentiones de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo esse, quod etjam si res ejus non sit, qui possidet: si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio. Ideoque cum obscura sint utriusque jura, contra petitorum judicari solere. Cumq; paritriusq; causa sit, potentiorum esse qui tenet, quam qui persequitur, Paullus docuit. *l. qui servum. 91. §. sequitur. D. V. O.* Atq; hinc est quod Jurisconsulti suadent possessorio potius judicio, si quis possit, experiendum esse, quam rei vindicatione. *l. 15. qui destinavit. 25. D. R. V.*

#### XCIX.

De judicijs deniq; possessorijs, quia eorum tractatio bonam partem pandectarum occupavit, hoc loco plane filere quam pauca dicere præstat. Competunt autem pro possessione & adipiscenda & retinenda & recuperanda interdicta, Actiones & remedia tam Civili nostro quam Pontificum jure celebratissima. De quibus hoc jam judicavimus, si quis ijs uti possit consultius esse quam petitorio judicio experiri. *d. l. is qui destinavit.*

Unum

C.

Unum adijciendum est, licere simul & petitorio & possessorio iudicio agere, & licet uno quis ceperit, semper ad alterum aditum relinqui iudicij; integram esse de utroq; simul cognoscere: quod postremum eo casu temperandum est, quo uterque litigantium se possidere contendit: tum enim prius de possessione cognoscere debet: Quæ difficilima & vexatissima controversia peristylum hoc absolvet.

F I N I S.



A D

Humanissimum & Doctiss. virum Juvenem.,  
**D. N. HERMANNVM TAPPIVM,**  
*Amicum suum exoptatissimum, de Possessionibus  
disputantem.*

**C**redere Neptuno vitam res plena pericli est,  
Et grave, tres digitos mortis abesse metu;  
Possideat tamen ut gemmas mercator, & aurum  
Non renuit mortis proximum adisse gradum.  
Fixa habet ante oculos sua vulnera, funera miles;  
Sunt tamen huic Martis verbera sive malum;  
Nobilis illi animos addit possessio palmæ  
Et durum fasces ponere, dulce mori est.  
Venator prædam sibi spondet, farra colonus,  
Damna cuiq; boni spes leviora facit.  
Cuiq; quod optat amans ejus possessio curæ est,  
Hanc aliquis summum dixerit esse bonum.  
Atq; tibi hæc quondam, TAPPI cultissime, magno,  
Pro quâ nunc vibras arma, futura bono est.  
Possideant Aurum sibi, Palmam, Jugera, Prædas,  
Quos juvat; excelles tu meliore nota,  
Quò Virtus Auro melior, Sapiëntia Palmâ,  
Laurea quò Prædis, Iuraq; Iugeribus.

M. STATIUS BUSCHERUS

Hannoveranus.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in the middle section, including what appears to be a name: "D. N. B. ...".

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

b) *Qui prohibitus est vi ne ingrederetur an videat*  
Cicero, orat. pro Cecina. *Quod quidem hodie tralatium*  
§. si autem. D. de vi.

XXCVII.

Dejectioni & occupationi violentæ si-  
quæ vi & inundatione fluminis aut maris  
sas. 30. §. 3. h. t. Hoc tamen dissimile habet  
possessionem & statim & ignorantes amittit  
cupatione, quamdiu eam ignoramus, aut  
cupere constitimus.

XXCIIIX.

Verum uti immobilium rerum posses-  
sione mobilium furto amittitur. Hoc tam  
statim & nobis a ignorantibus hoc in mobilibus  
quidem generaliter b Nerva tradidit, h  
tenus sub custodia nostra sint, i. e. quatenus  
lem possessionem nancisci possimus.

a) *l. rem. 15. l. si rem mobilem 47. h. Cui con-*  
*stitutum depositæ possessionem ignorantes nos amittere*  
*furtive contraxerit. l. qui universas. 30. §. fin. l. si*  
*si rem. 12. eo. b) l. 3. §. Nerva. 13. h.*


XXCIX.

Hinc est quod Thesaurus in alieno de-  
positus nec ab alio loco motus sit: Item quod T  
memoria ejus partis ubi depositus est statim  
utrobique verum est adhuc sub custodia  
*gre. 44. eod.*

XC.

Contraria vero ratione, si rem aliquam  
non inveniatur: vel si quid naufragio aut  
mergarur vel flumine abripiatur, possessio  
minium tamen retinetur. Quod notandum  
simam illam consuetudinem, multis in lo-  
tempestatis causa ejectæ vel naufragio  
piuntur

a) *l. Pomponius 13. l. interdum. 21. §. quod ex n*



the scale towards document

re disputat  
ritum. l. 3.

cupatio,  
qui univer-  
ndatione  
utem oc-  
re & re-

adem ra-  
de: quod  
mobili-  
leri, qua-  
natura-

ei apud A-  
tarius eam  
7. l. 3. §.

atur do-  
sio im-  
ur: quia  
l. pere-

s, ita ut  
are sub-  
ur: a do-  
iniquif-  
qua res  
to arri-

b) ju-  
re na-